311)

D. Petro Hübnero

Salutem!

Gaudeo, charissime D. Petre, quod antiqua nostra necessitudinis memor, nullas ad me scribendi occasiones praetermittis. Ego ἀμοιβὰς praesto libenter, etsi non raro occupationes variae me impediunt. Me vel invitum à Collegio meo, cui annos 14 totos servio, ad professionem pertrahere tentarunt aulici justi et Academici sed dispari studio. Acceptavi quidem, sed ante Michaëlis diem migrare non possum: quanquam aula animi pendet. Vellent me professionem cum inspectione Sapientiae conjungere, quia nondum vident idoneum successorem. Non tamen omnes id vellent, nec ego id volo, aut possum, si vellem ✱. Deum oro, ut dirigat consilia superiorum. Video enim turbari indies graviusque omnia. Vehementer laboramus ex capite: vere dixero, ἐν βαρβάροις ἐκβαρβαρῶσθαι. Orate Deum, ut servet Ecclesias nostras: et sanet caput ac membra: quia vix aliquid ὑγιές. Quasi nostri, ut potius juniorem aliquem Theologum, et in his Lignaridum vocarent, sed frustra. De Junio revocando nonnulli etiam dum cogitant. Ego nil praeter summam perturbationem metuo, nisi nos Deus servet. Putabam vestros etiam pace Gallicanâ comprehensos: sed audio bellum cum Sabaudo eos reparare. Utinam Deus vobiscum pugnet contra tam pertinaces hostes. De pace quidem illa prudentiores parum sperant. Artes Pontificiis et Hispani non sunt obscurae. Ordines tamen Hollandiae et Angli nondum sibi metuere dicuntur, sed foedus ad defensionem reparasse. Nunc agitur conventus Legatorum Imperii Francofurti de pace Belgis persuadendâ. Sed respondebunt hi, si sapiunt, quod puto, sine dubio: <u>Fistula dulce canit, volucrem dum decipit auceps.</u> Hortensium nondum audiveram viris exemptum. Putasne in ejus bibliotheca latere Lexicon Tremellianum? Saluta ex me D. Trogum. Deus suo Spiritu te tuosque diu servet et laboribus vestris benedicat. Vale, mi frater, et me, quod facis, ama. Raptim Heidelbergae ipso Laurentii Anno 1598.

Immanuelis Tremellii Lexicon Hebraeum [illegible].

312)

Eidem D. Hübnero

Salutem!

Variè, mi D. Frater, accepti sunt à nostris ὀνειδισμοὶ vestri quaternis literis Illustrissimo nostro et Senatui Ecclesiastico inculcati. Atqui his non erat opus, cum etiam absque iis res impetrari potuerit. Quod porro responsum ex voto non accepistis, non ad offensionem vestram pertinere debuit, sed necessitati nostrae imputari,

quam ne nunc quidem literis credere audeo. Si verò intel=
ligeretis, fortè minus nos urgeretis. Hoc dissimulandum non est, re=
pulsæ culpam immeritò imputari abs te et D. Grissio Senatui
Ecclesiastico. Undecunque id de durioribus Collegarum sententi=
is habetis, scitote errorem esse: aliud enim nihil dicam.
Si enim in nostram fuisset iturum sententiam, crede mihi Ligna=
ridum accepissetis illico, saltem ad aliquot annos, vel certè
ejus loco D. Stöckelium, alterum Electoris beneficiarium, qui
nunc Basileæ Theologiam cum laude, ut amicorum habent li=
teræ, profitetur. Et tale quid poteras ex paginis meis collige=
re. Scripseram enim gratificationem fore indubiam. Cum ergo
responsum est, nostrum non fuit tunc inhibere, neque nunc præ=
stare. Itaque rogo ut Senatum nostrum suspicione qua vestros
liberes. Cum jam tum de Lignardo revocando decretum acci=
piebamus: cui si illico paritum fuisset (nihil autem nisi refor=
matio Pommeraniæ Ducatus obstitit, ad quam plerique nostrûm
fuerunt ablegati, quæque opinione felicius divinâ gratiâ cessit) spes
omnis retinendi ejus vobis periisset. Verum nos sumus ita
humanitatis expertes, aut beneficiorum immemores, quin
etiam cum aliqua jactura nostra vestræ necessitati servi=
re velimus, cum et charitatis lege nos ad hoc teneri sentia=
mus, et nihil magis in votis habeamus, quam et istic et u=
bique esse Theologiæ Doctores ac Professores, ad veritatis pro=
pagationem quam optimos. Nec dubito responsum nunc
vos accepturos ex sententia. Ita certè, ne hoc nescias, visum
est Senatui nostro; idque nullo venditionis interventu, ut li=
bera sit hæc gratificatio, neque novo exemplo grati animi
obligationem Lignaridi non tam nobis renunciandi, quàm
à nobis ad alios transferendi occasionem haberet. Si se
quid fecit aut perscribetur à superioribus, de quorum sente=
ntia mihi, dum hæc scribo, nondum constat; nostrum non
fuerit præstare. Satis interim videmus pericula nostra.
Deum verò oramus, ut servet navim in his fluctibus. Si
naufragium faciemus, dabit ille pro sua benignitate tabulas
naufragis ad enatandum, neque vos, ut spero, littora ve=
stra claudetis. Fiet autem Domini bona voluntas. Tu
pro tua pietate et prudentia, mi D. Frater, ea facies
in hac causa, quæ ad mitigandos vestrorum animos
pertinebunt, neque audies eos, qui frigidam fortè amplius

suffundent. Haec fuit Politicorum gravis ratio: quod ex 600 aut 1000. beneficiariis, in quos quotannis ad 2000 fl. profunduntur in Palatinatu, vix unge[?] alter fastidium aliquod contingit, reliquis ut nosti, manentibus in grege: jam tunc unum etiam vel alterum non servire Palatinatui operâ ejus egenti cogita quam hoc aequum videri potuerit. Precor vero, ut Deus florentissimam Rempubl. vestram incolumem servet, ac D. Lignaridium salutare organum scholae vestrae efficiat: quem etiam a me cum D. Trogo officiose salutes velim. Resalutat te consobrinus tuus D. Angerus, qui in reformatione Simmerensi Ecclesiae praeclaram operam navavit. Mitto tibi libellum meum περὶ τῆς [illegible] τῶν [illegible]: de quo judicium tuum audiam. Vale et me, quod facis, ama. Heidelbergae 14 Octobr. 1598.

312a

Extrait des Articles accordez entre la ville de Nismes et le Recteur Pacius.

Premierement etc. Et moyennant lesdicts gages le dict Sieur Pacius se charge du College, Promet de servir audict Rectorat, et aux susdictes professions &c:

Item et en cas que le dict sieur Pacius viendroit à deceder pendant sa charge et exercice d'icelle, la ville sera tenue bailler à femme, et à defaut d'icelle, à ses heritiers semblable somme que monte ses gages d'un an &c:

La ville de Nismes n'a sur nos aucune pretension oultre les mots sur escripto.

Præsent: d. 27. Xbris 1598.

Emp[?]
Extract [illegible] puncten der [illegible], [illegible] der Stadt Nimes und Doctor Pacio [illegible] [illegible].

FRIDERICUS. &c

Salutem

313

Cum certis nunciis ad nos perlatum esset, quantopere hisce perturbatissimis temporibus laborantia literarum studia vobis curae sint, quantaque benevolentiâ et liberalitate D. Julium Pacium in eam rem ad vos accer-